

Wd
838





INCLYTUM
PIETATIS VERÆ AC PRIN-
CIPALIS INSTAR,

IN
SERENISSIMO QVONDAM AC CELSIS-
SIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. ERNESTO,
DUCE SAXONIÆ, CLIVIÆ AC
MONTIUM, LANDGRAFIO THURINGi-
Æ, MARCHIONE MISNIÆ, PRINCIPE HENNEBER-
GICO, COMITE MARCÆ ET RAVENSBERGI,
DYNASTA IN RAVENSTEINIO, ETC.

PRINCIPE OMNIUM SUFFRAGIIS VERE PIO,
BREVI OSTENSUM DISSERTATIONE,

^{2^{ra}}
AD AUSCULTANDUM GRATIOSE, BENEVOLE AC
FREQUENTER

ORATIONEM ENCOMIASTICAM,
BEATISSIMIS EJUSDEM MANIBUS
SACRAM,

ILLUSTRISSIMUM COMITEM AC DOMINUM,
DN. HEINRICUM QVARTUM,
JUNIORIS LINEÆ RUTHENUM, COMITEM AC DO-
MINUM A PLAVIA, DOMINUM IN GREIZA, CRAN-
NICHFELDA, GERA, SCHLEIZA ET LOBEN-
STEINIO, ETC.

NEC NON
PLURIMUM VENERANDOS

DNN. INSPECTORES,
OMNEIS ITEM VIROS DOCTISSIMOS
SPECTATISSIMOS ALIOS,

Humilitate, Observantiâ & Humanitate, quâ decet ac par est,

INVITAT

M. JO. FRIDERICUS KOEBERUS,
illustris Ruthenei RECTOR.

Pietate verò isthâc defungetur

BALTHASAR HEINRICUS à Nischwitz/
EQVES VARISCUS.

GERÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.





Prande equidem decus & insignis honor vetustissimis Romanorum non induntaxat exoriebatur, quod res audebant incredibiles atq; inauditas, magnoq; animo & fortiter excellenterq; gerebant, sed etiam quod magna hinc nomina, ad immortalem sui gloriam ac famam, indipiscebantur. Etsi enim insignibus illis ad laudem Viris rectè factorum conscientia satis erat, suaq; contentis virtute, fastigium altius non temerè pro scopò præfigebatur; tamen nec inviti admittebant, si nomini suo ac meritis gloriosum addebatur decus. Hinc aliis Patris Patriæ hærebat nomen; aliis Felicis dabatur cognomentum; alii à devictis gentibus Africani, Asiatici, Macedonici, Imperatores etiam Germanici, Britannici, Sarmatici, Dacici, Armeniaci, Arabici, Adiabeni, Parthici, Medici, Persici, dicebantur, sive quod ingenti felicitate perdomuissent populos, à quibus nomen habebant, sive subjuges facere conati essent. Verum facebant isthæc vanitatis ludibria, ex servili plerumq; adulatorum obsequiò nata. Id demum verè magnum, & gloriosum nomen est, si quis inter Principes insigni erga DEUM immortalem pietate flagrat, totq; divinæ hujus Virtutis documenta exhibet, ut meritisimò Jure cognomen PII fortiatur. Nam quantum familiarius hic cum DEO suo conversatur, magisq; coelestem in his terris degit vitam, tantò sublimiori nomine, quam quicquid hominum titulis superbit grandioribus, gaudet. Nam qui verè DEUM timet, eò superior nemo est; cum verus & sincerus DEI timor transcendat & superet omnia: quod optimus Ethicæ Christianæ Doctor Siracides ait. Quod si autem quis unquam sive vetustiori, sive recentiori ex memoria fuit, cui jure quodam suo PII cognomen tribui potuit; is sanè fuit SERENISSIMUS QVONDAM AC CELSISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS, DOMINUS ERNESTUS, DUX SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM, LANDGRAFIUS THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ, PRINCIPALI DIGNITATE COMES HENNEBERGICUS, COMES MARCÆ ET RAVENSBURGI, DOMINUS RAVENSTEINI, PRINCEPS OMNIUM CONFESSIO VERE PIUS. Qui quod incomparabili hoc Titulo, cum immortali nominis gloria, ex verò cohonestetur; de eo nemo tam iniquus

iniqvus rerum aestimator erit, aut invidiae caestro percitus, qui vel tantillum praesumat dubitare. Est sane, ut Cassiodorus censet, honorabilis praesumptio naturae, & ingens ad virtutem stimulatio, ex gente optimam natum esse. Jam si gentem, unde Illustrissimum Sidus primum prorupit, cum vetustate & gloria, tum & pietate imprimis inclytum maxime, reputamus; ortos inde videmus non solum Fridericos Bellicosos, Placidos, Sapientes, Johannes Pacificos, Albertos Animosos, sed etiam Johannes Constantes, & Johannes Fridericos Magnanimos, qui & intrepide confessi & forti animo tuiti sunt, nec citra periculum vitae ac dignitatis jacturam, asseruere veritatem coelestem, ab Adversariorum strophis ac corruptelis divinitus repurgatam. Ex tam pio igitur, tam sancto, tam religioso DEIque amantissimo genere cum ortus sit SERENISSIMUS ERNESTUS; ecquis de singulari ejus pietate aufit subdubitare? ecquis eidem Pii tribuere cognomen vereatur? Neque enim nisi Pium producere potuerunt piissimorum Parentum & Majorum corrivati sanguinis fontes. Praeclare autem Stagiritis docet, vero admodum simile esse, ex bonis oriri bonos, & sic educatos, tales esse. Mentem quippe format piam educationis cura & sanctitas, ac doctrina, ceu Poeta loquitur, insitam promovet vim, rectique cultus roborant pectus. Politis manu splendorem accipit gemma, & pretium adeo assequitur, quod in se habet. Non secus institutio diligens ac pia & elicit impressam animo vim, & in apricum industriam sistit felici. Itaque cum vivida admodum esset BEATISSIMI DUCIS indoles, & pietatis praecipue flagraret amore; fieri non poterat, quin in tenera statim aetate Virtutum ac pietatis egregios ostentaret fructus, & cum omnium admiratione ferret Surculus incomparabilis. Josiam praedicant monumenta sacra, quod perquam adolescentulus, octavo videlicet aetatis anno, Dominum ac DEUM Patrum suorum pie juxta ac sollicitè quaesitum iverit. Quid ERNESTUS NOSTER? A parvo perquam puero, singulari quodam animi instinctu, ad pietatem rapiebatur, eamque vel vultu aut verbulo laedere ac violare, grande nefas existimabat, detestatus ex animo, quicquid vitiorum sectari improbitas hominum solet. Non degenerant temere, qui solidum pietatis fundamentum jecere; quemadmodum bonum servat odorem testa, quo recens imbuta est. Pietati igitur à teneris, quod Graeci dicunt, ungviculis adsvetus Noster, adultior deinde factus tantum abfuit, ut repudium pietati miserit, ut potius apertissimum nactus campum, in quo virtutem divinissimam exerceret, nihil

prius eâ habuerit aut antiquius unquam. Neq; enim præter rem arbitrabatur SAPIENTISSIMUS PRINCEPS, cum firmisimum regiminis cujuscunqve fulcrum, qvòd ille ait, sit, non fucata pietas; eam tam à subdito grege, qvàm & ab eo, qvi laudabiliter eidem cum imperio præest, omni cura, cogitatione, opera excolendam esse. Etenim efficacissimè hic exemplo potius, qvàm edictis jubet, & ille pientissimè præeuntis vestigia lubenti animo subsequitur & calcat. Qvàm ob rem & Ipse verè pium se exhibebat, & ut eandem sibi metam omnis populus præfixam haberet, sedulò studebat, ac indefessa providebat curâ. Profectò qvanta in BEATISSIMO DUCE, & qvàm eximia fuerit inusitataqve Pietas, si parem dicere, magnoperè vereor, ne, qvicquid dixerò, fuerit minus. Nam primum illi & perpetuum omninò studium fuit, ardentes & verâ fide succensas DEO preces allegare, Mentemq; purissimam puritate animi ac innocentia invocare. De fufis publice precibus nihil commemorabo, qvas, non nisi oculis in Cœlum sublatis, gemituq; & fervore admirando, atq; ex imis adeo cordis penetralibus emittebat. Domi verò & in Aula suâ Illustrissima, qvæ emendatissimi Cœnobii instar habebat, orare ac psallere & contentissima qvidem voce, non vacui temporis solatia existimabat, & qvasdam remissiones veluti, sed ferii operis piè descriptas partes. His & auspicabatur diem, & finiebat, his suam suorumq; salutem DEO commendabat, his publica privataq; negotia qvâsi consecrabat, his subditarum terrarum quietem omnem ac prosperitatem cœlitus impetrabat. Gaudet qvippe, gaudet his machinis pulsari & expugnari Cœlum, hæc vis DEO gratisima est. Neq; dubitamus, qvin precibus suis cùm à tota, qvacunq; patet, Germaniâ, tum & à suis ditionibus multa mala, qvæ minabatur justissimus scelerum Vindex, precibus piissimis sæpenumero amolitus sit. Et proh DEUM immortalem, qvâ devotione adibat templa? qvâ attentione publicis intererat sacris? qvo vultu, qvo ore, imò qvo animo auscultabat sermones, qvi ad concionem habebantur? Et qvo desiderio, qvâ destinatione revertebatur è templo, factis expressurus & vita, qvæ audiisset? Negligere autem sacra, proximum sacrilegio crimen & maximum nefas putabat, & à sua alienum pietate. Longum nimis foret, si omnia pietatis documenta, qvæ splendidissimè in SANCTISSIMO ERNESTO emicuerunt, in medium afferenda essent. Cœterum commemorarem, qvàm sedulum se, qvàm assiduum præstitit in lectione Oraculorum cœlestium; dicerem qvoq; qvàm se præbuerit humilem, qvàm cupidum, qvàm pœnitentem, sanctissima Synaxi usus. Qvibus pietatis exercitiis nisi seriò daret animum

num, medullitusq; ut Enniana voce utar, impenderit se, aut nihil egisse, aut malignè, arbitrabatur. Certè Sacrorum Myſtas haud paucos cultûs divini ſanctimonia ac caſtitate ſuperabat, religioſiſſimos etiam æqvabat. Tàm nimirum piè **PIIſſimus Dux** ipſe totum vitæ ſectabatur iter. Igitur ut ne diverſum ingrederentur, quos ſibi ſubditos habebat, nihil non conferebat ſtudii, operæ, facultatis. Ad pietatem referebat omnia, nec placere quicquam poterat **OPTIMO PRINCIPI** aut probari, quod alienum à pietate erat. Quo fiebat, ut in eò omnes evigilarent curæ & cogitationes **PIIſſimi Principum**, ut & verus de **DEO** ſenſus, & ſincerus ejuſdem cultus conſtarent ſibi ubiq; & ſingulari quadam induſtria omnibus inculcarentur. Hac fini **BIBLIA**, quæ meritò ab auſpiciis Ejuſ piſſimis **ERNESTINA** vocantur, immortale opus, quod orthodoxiæ fidem & religionem exactiſſimè complectitur, in ſalivam prodire juſſit publicam. Non pœnitebat **DIVINIſſimum Heroem**, quos impendebat grandes, ſumtuum, non tædebat ullius operæ, quam exantlare non invite, ſuarum eſſe partium exiſtimabat. Erant quidem Theologi nec ūni & præſtantiſſimi, qui opus faciebant; ſed Ipſe, ut rectè facerent, ut cœptum ſemel ne deponerent, ſed ad ungvilicum ſedulitate non interrupta perducerent, ſeriò ac piè inſtabat. Depræhenderat **DEO DILECTIſſimus Princeps**, per belli tricennaliſ diritatem, intercidiſſe hinc & inde pietatis Exercitia, ut nec ætate prima, nec imbecilla, nec mediocri homines, rationem fidei, pro ut decebat, reddere interrogantibus poſſent. Hinc pio incenſus dolore, inibat conſilia, quibus huic malo mederi modis liceret. Quo factò, manum illicò admovebat operi, & ut per omnes Eccleſias, quæ in Ducatu ſuo tunc effloreſcebant, ſolida & firma cum agnitionis Chriſti ſalutiferæ, tum & veræ nec fucatae pietatis fundamenta jacerentur, publico ſciſcebat edicto. Quæ res cum indefſo ubiq; ferveret ſtudio, benedicente gratia divina fiebat, ut Cives pariter urbium & oppidorum, quin & agreſte hominum genus ac inconditum maximè, & rectiùs agnoſcerent **DEUM**, & devotius colerent. Incredibilem quandam & pænè divinam lætitiæ voluptatem hinc capiebat **PIETAS PRINCIPIS**, quæ perinde ut **DEUM** ipſum, ita ejuſdem gloriam & honorem rebus longiſſimè aliis præferebat. Prætereà ut nec conciones deeſſent cœtibus ſacris, nec qui eaſdem ad populum haberent publice, nec in methodo docendi deſideraretur quippiam; pro hominum fidem quos labores, quas curas **SANCTIſſimus Dux** impendebat? Impendio planè magno ſtabant hæc omnia; quia verò gloriæ nominis divini velificabantur unicè, feliciter & conſtabant.

Sed nec ingrato sepeliri silentio debet, quod, quæ sua cuique pietas imponit, PIISSIMI PRINCIPIS jussu imaginibus variis, ingeniosè excogitatis, ipsis etiam numismatibus publicè cufis, cuivis in Ducatu Gothano evidentissimè fuerit ostensum. Noverat DESIDERATISSIMUS HEROS, quantum interesset, Scholas rectè habere, quippè quæ seminaria sint publicæ rei & Ecclesiæ, omnisque felicitatis fontes. Quare & in eò occupata erat PIISSIMI PRINCIPIS providentia & Cura, ut locorum ubique vigerent pulchrè, doctisque instructæ Doctoribus ex voto omnium, in emolumentum Juventutis studiosæ, florerent. Neque verò erat, quod hanc piam animi firmitudinem aut ullo tentare modo, aut immutare posset. Sed quæ cogitando vix assequimur, quis dicendo adæquet, in tanta cum primis chartæ ac virium exiguitate? Sua circa Principem præstolari ministeria solent & comitatus adesse. Perindè ubi vera est & genuina pietas; ibi deesse vix possunt reliquæ virtutes. Cujus si quis alius, certè documentum dare luculentissimum PIENTISSIMUS ERNESTUS potest. Ad Patris instar fovebat gregem sibi subiectum, liberali sublevabat manu egenos, & ut vastum hostilitate ac desertum agrum colere possent & conferere, subsidia porrigebat colonis. Miseris aliis, & quos fortunæ iniquitas nudos vagosque & exules fecerat, aut fecisse videbatur, munifica sublevabat dextra: studia imprimis pauperum, quæ torpent ferè jacentque neglecta, beneficè habebat ac liberaliter. Neque enim ignorare poterat, nunquam florere magis artes bonas, literarumque studia, quàm ubi sunt, qui & æstimant rectè, & fovent benignè, quæ æstimarint. Quò & pertinet, quod Ecclesiæ ministris sua auxit stipendia, & ut relicta eorum viduæ haberent, unde se sustentare possent, benignissimè cavit. Cujus quidem gratia vel defraudare genium videbatur suum, sibi que demere ipsi, quod aliis daret. Ubi Pietas adest, ibi superbia & fastus locum habere vix potest. Quocirca & PIETATE INCLYTUS PRINCEPS capitali odio à tumore ambitioso ac insolentia dissidebat. Hinc adituris patebat ultrò; sæpenumero etiam suavitate insigni & comitate inusitata ad sermonis invitabat commercia &, quid quisque sibi vellet, sollicitè inquirebat. Ut cum laude salutem promoveret publicam, nulli parcebat operæ, ideoque nec in otio otiosus unquam erat: Omnia ut ordine fierent decenti, sapientissimè providebat; justè prætereà suas administrabat partes, plectendo pro meritis improbos, bonos probosque conservando. Justitiæ tamen rigorem eâ temperare clementia noverat, ut, utrum justior an clementior appellandus esset, non constaret facile: pronior tamen in clementiam

am

am videbatur. Est hæc conditio hominum, ut alteri altero virtutes plures, nemini omnes contingant. In ERNESTO autem GLORIOSÆ RECORDATIONIS omnium, quæ in Principem cadere possunt, virtutum concentus eminebat. Quantò enim solidius sibi fundamentum in Ipsius animo struxerat pietas; tantò minus abesse poterant virtutes, quæ rivulorum more ex fonte isto limpidissimo emanant. Fiebat igitur, ut & commoda, quæ pietas sui admetitur cultoribus, largissima juxta & maxima perciperet PISSIMUS ERNESTUS. Benedictum quippè divinitus Genus piorum est, nec sua destituit bonitate DEUS, aut exortes patitur esse felicitatis variæ, quos deditos sibi novit. Id quod quàm singulari ac verò documento comprobaverit Bonitas Divina, in vulgus omninò passim locorum pervulgatum est. Sive enim SERENISSIMOS AC PATERNARUM VIRTUTUM ÆMULOS FILIOS, CELSISSIMOS PRINCIPES AC DOMINOS, DN. FRIDERICUM, DN. ALBERTUM, DN. BERNHARDUM, DN. HENRICUM, DN. CHRISTIANUM, DN. ERNESTUM, DN. JOH. ERNESTUM, DUCES SAXONIÆ, ETC. ETC. PLEJADAS COELI SAXONICI FELICISSIMAS, HEPTADE SUA ADMIRABILES, respiciamus; sive Ducatus Gothani statum ex omni parte fortunatissimum expendamus; sive Altenburgensis ac Coburgensis Ducatum, copia rerum & ubertate præ cæteris inclitorum, hereditariam accessionem seria æstimatione perpendimus; sive acri animo & attento intuemur alia numero innumera: ecquid depræhendimus, nisi vestigia Benedictionis Dei certissima, luculentissima, quæ remunerari Pietatem nec fucam & perpetuam gratiosissime solet? Exponerem de his prolixius paullò, nisi jam pridem facundissimi Oratores hanc mihi præcepissent ac præripuissent operam; & nisi, in cujus gratiam hæc mihi suscepta scriptio fuit, NOBILISSIMUS ADOLESCENS, BALTHASAR HEINRICUS à Nischwitz / EQVES VARISCUS, in PISSIMI ERNESTI meritissimam laudem, cras DEO feliciter annuente, H. L. Q. C. pro ea, quæ est, stili ubertate & facundiâ, non pauca dicturus esset. Comparisonem verò inter pientissimum Imperatorem, & laude omnium cumulatissimum Theodosium M. & ERNESTUM SAXONIÆ DUCEM INCLYTISIMUM instituet, Musis simul Ruthenicis, quibuscum per tres annos & quod excurrit, sive Ipsi, constans ac fortunatum intercessit commercium, vale ultimum dicturus. Severâ Ipsum lege proficere ac educari

FK Wd 858

ducari voluit VENERANDUS MAXIME PARENS;
VIR GENEROSUS, DN. GEORGIUS HEINRI-
CUS à Nitschwig / TOPARCHA IN Trinzig ET Kub-
dorff / ETC. AULÆ SERENISSIMÆ EISENBER-
GENSIS SAXONICÆ MAGISTER VIGILAN-
TISSIMUS, CONSILIARIUS ITEM AC PRÆ-
FECTURÆ CAMBURGENSIS DIRECTOR SEU
CAPITANEUS GRAVISSIMUS, PATRONUS
MEUS SUBMISSE COLENDUS, nec antè dimitte-
re ad studia sublimiora, quibus in Academiis potissimum locus
est, quàm consensu adprobaremus Præceptores. Quod quan-
tò rarius hoc corruptissimo ævo fieri adsolet; tantò certius in
NITZSCHWITZII Nostri commodum ac utilitatem ver-
get. Certè non præterit temerè hebdomas, quâ non semel, in-
terdum & bis de varii argumenti rebus eleganti & copiosâ oratio-
ne differeret. Unde, È UNDEM in non vulgare GENERIS
SUI NOBILISSIMI decus & columnen, si perrexerit cum
pietate maritare non desidem studiorum culturam, evasurum a-
liquando, non vanè auguramur, quid? & seriò exoptamus. Ut
igitur ultimâ apud nos PER ORATURUS vice CLEMEN-
TER ET BENEVOLE AC FREQUENTER in Au-
ditorio novo audiatur, humillimè juxta & submissè officioseque
rogitamus, imò & per MANES BEATISSIMI ERNE-
STI PISSIMOS obtestamur. Prosperos viales & felicissi-
mos studiorum successus VALEDICTURO, more jam o-
lim recepto, apprecaturus est ex promptâ memoriâ Gottlob
AUGUSTUS à Reibold / EQVES VARI-
SCUS. P.P. GERÆ d. VII. Kalend. Octobr.
A.Q.R. ∞ Ioc LXXIII.



Wd



6;
L-
e-
R-
L-
E-
U
S
e-
is
n-
n
r-
n-
o-
S
m
a-
It
N-
r-
ve
E-
i-
o-
6
C
E
M
V
G

1077

ULB Halle 3
001 543 059








Rande equidem decus & insignis

in signibus illis ad laudat, suaque contentis vi præfigebatur; tamen ritus gloriosum addebat nomen; aliis Felicitatibus Africani, Africanici, Britannici, Sarmatici, Parthici, Medici, tate perdomuissent perjuges facere conati effugia, ex servili plerumque verè magnum, & gloriæ signi erga DEUM immortalitatis documenta exhortatur. Nam quæritur, magisque cælestis nomine, quam quicquam gaudet. Nam qui verus & sincerus DEI optimus Ethicæ Christiani quis unquam sive veteri jure quodam suo PII CARISSIMUS QVONIAM AC DOMINUS, DUCES SAXONIÆ, JULIUS GRAFIUS THURINGIÆ PRINCIPALI DIGNITATE MESS MARCÆ ET VENSTEINI, PRINCEPS OMNIUM CONFESIONE VERE PIUS. Qui quod incomparabili hoc Titulo, cum immortalis nominis gloria, ex verò cohonestetur; de eo nemo tam



um non inde s audebant in- noque; animo & sed etiam quod mortalem sui gloria. Etsi enim scientia fatis cenerè pro scopò mini suo ac mens Patriæ hæreticis alii à devictis res etiam Germanici, Adiabingenti felicitabant, sive subvanitatis ludicrum. Id demum Principes in- divina hujus cognomen PII suo conversantò sublimiori grandioribus, nemo est; cum omnia: quod Quod si autem gloria fuit, cui nènè fuit SEREPRINCEPS US, DUX M, LANDIÆ, PRINCIPALIS, COMITUS, RA- MINUS RA- CONFESIONE VERE PIUS. Qui quod incomparabili hoc Titulo, cum immortalis nominis gloria, ex verò cohonestetur; de eo nemo tam iniquus

